

CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 1

1. Translate:

haec tua Penelope lento tibi mittit, Ulixē
nil mihi rescribas tamen: ipse veni!
Troia iacet certe, Danais invisa puellis;
vix Priamus tanti totaque Troia fuit.
o utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat, 5
obrutus insanis esset adulter aquis!
non ego deserto iacuissem frigida lecto,
nec quererer tardos ire relictā dies;
nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
lassaret viduas pendula tela manus. 10
quando ego non timui graviora pericula veris?
res est solliciti plena timoris amor.
in te fingebam violentos Troas ituros;
nomine in Hectoreo pallida semper eram.
sive quis Antiochum narrabat ab hoste revictum, 15
Antiochus nostri causa timoris erat;
sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
flebam successu posse carere dolos.
sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
Tlepolemi leto cura novata mea est. 20

(Ovid)

2. Prepare:

libenter ex iis qui a te veniunt cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. 'servi sunt.' immo homines. 'servi sunt.' immo contubernales. 'servi sunt.' immo humiles amici. 'servi sunt.' immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare: quare, nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit? est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat quam ingressit. at infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur, et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota ieiuni mutique perstant.

(Seneca)